



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Adversvs Omnia Catabaptistarvm Prava Dogmata
Heinrychi Bullingeri lib. IIII**

Bullinger, Heinrich

Tigvri, 1535

VD16 B 9759

Quod Christianus homo seruos habere poßit

urn:nbn:de:hbz:466:1-35433

T R A C T A T V S

cum timore dominis uestris, non solum bonis ac huma-
nis, sed etiam prauis. Ex his iam putamus satis proba-
tum esse, quod nec serui pro mercenarijs ministris in-
telligi debeant, nec seruitutem per Euangelium abo-
litam esse.

Q V O D C H R I S T I A N V S H O-
mo seruos habere posset.

Obijciet hic aliquis, prædicta loca non probare
quod herus Christianus seruos posset habere,
sed quod huic ab his qui serui sunt obedien-
dum sit. Cui iterum ex Paulo respondemus 1. Timoth.
. qui dicit, Qui habent fideles dominos, ne contem-
nant &c. Nemo seruos melius & mitius tractare po-
terit, quam fidelis herus, qui Christum agnoscit. Quu-
enam domino seruire didicit, nimurum & alijs impera-
re didicit. Non odit seruos, non adfligit, non durius tra-
ctat aut premit, comis est & benignus. Quid potestis
contra hæc tam manifesta, quum Paulus dicat: Fideles
dominos? Qui seruos habent, sunt fideles, sunt Chri-
stiani, sunt fratres. Si hæc dabitis, uicimus nos: si, le-
gimus uobis quæ Paulus subdit: Si quis diuersam sequi-
tur doctrinam, & non accedit sanis sermonibus domi-
ni nostri Iesu Christi, & ei quæ secundum pietatem
est doctrinæ, is inflatus est, nihil sciens, sed insaniens
circa questiones ac disputationum pugnas, ex quibus
nascitur

nascitur inuidia, contentio, maledicentia, suspiciones male, superuacaneæ conflictationes hominum mente corruptorum, et quibus adempta est ueritas, qui existimant quæstum esse pietatem. Seiungere ab his qui tales sunt. Si ergo catabaptistæ his tam apertis testimonijs conuicti, non cedunt, uitabimus eos tanquam hereticos, 1. Timoth. 5. & Tit. 1. Insuper exempla ex scripturis proferemus, Christianum hominem seruos habere, et habendo Christianum manere posse. Interrogamus ergo catabaptistas Abraham ne fuerit Christianus? Si Christianus non fuit Abraham, quorsum ergo spectat quod Christus Ioan. 8. de eo loquitur? aut cur nobis in nouo testamento exemplar fidei proponitur? aut quomodo omnes Christiani filij Abrahæ dicuntur? Si Christianus fuit (ut certè fuit) consequitur Christianum seruos habere posse. Magnum enim numerum seruorum habuit Abraham, Gen. 14. & 24.

Onesimus Philemonis seruus fuit. Philemon autem non Christianus modo erat, sed et uerbi minister, et Pauli συνεργός. Ex his ergo patet Christianum hominem posse habere et propria et seruos.

CONTRA INSOLENTIAM
et tyrannidem dominorum.

A 4